

AENEIDOS XII

turbauit mentes Italas monstroque fefellit.  
namque uolans rubra fuluus Iouis ales in aethra  
litoreas agitabat auis turbamque sonantem  
agminis aligeri, subito cum lapsus ad undas  
cycnum excellentem pedibus rapit improbus uncis.      250  
arrexere animos Itali, cunctaeque uolucres  
conuertunt clamore fugam (mirabile uisu),  
aetheraque obscurant pennis hostemque per auras  
facta nube premunt, donec ui uictus et ipso  
pondere defecit praedamque ex unguibus ales  
proiecit fluvio, penitusque in nubila fugit.      255

Tum uero augurium Rutuli clamore salutant  
expediuntque manus, primusque Tolumnius augur  
'hoc erat, hoc uotis' inquit 'quod saepe petiui.  
accipio agnoscoque deos; me, me duce ferrum      260  
corripite, o miseri, quos improbus aduena bello  
territat inualidas ut auis, et litora uestra  
ui populat. petet ille fugam penitusque profundo  
uela dabit. uos unanimi densete cateruas  
et regem uobis pugna defendite raptum.'      265  
dixit, et aduersos telum contorsit in hostis  
procurrens; sonitum dat stridula cornus et auras  
certa secat. simul hoc, simul ingens clamor et omnes  
turbati cunei calefactaque corda tumultu.  
hasta uolans, ut forte nouem pulcherrima fratrum      270  
corpora constiterant contra, quod fida crearat  
una tot Arcadio coniunx Tyrrhenia Gylippo,  
horum unum ad medium, teritur qua sutilis aluo  
balteus et laterum iuncturas fibula mordet,  
egregium forma iuuenem et fulgentibus armis,      275  
transadigit costas fuluaque effundit harena.  
at fratres, animosa phalanx accensaque luctu,  
pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum